



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Petulantia perniciosa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

PROLIFICA SALUBRITAS. CAP. XXXVIII.

Idem Aegyptii facer dotes si prolificum hominem, & petulantiae intemperantius deditum significare vellent, Passerem pingebant *περσιννυ*, fulvum quippe, & aris instar rubicundum: non autem pyrgetem, quod nonnulli turriculam interpretati sunt, cum exemplaria Hori manuscripta *περσιννυ* hinc illud, legendum indicent. Passer enim titillatione immodica, & feminis ubertate concitatus, vel septies una hora feminam salit, nunquam egens genitura. Ejusmodi porro salacitatis observatio efficit, ut ad languescentem Venerem excitandam Passeres in cibo, vel eorum ova Medici propinarent, ideoque eos Veneris currum trahere mythologi confinxerunt. Jam & Therficles ait Passerum esitationem rem Veneream plurimum adjuvare.

Figura & pictura passeris.
Hinc illud, passere salacior.

SIRENES. CAP. XXXIX.

Quin & Sirenas, quae suavitate cantus & mollibus quibusdam illecebris, illectos homines apud se ad mortem usque feruntur detinuisse, Passeris effigiem a pectore supra, femineam vero infra habuisse, tradunt quaedam Graecorum fabulae, ut in Suida Colletaneis habetur: quamvis aliis aves eas feminea tantum facie fuisse prodiderint. Has vero Veneris illicium significare usitatissimo hieroglyphico, negat nemo.

Isacius.
Theopompus in Callesch eo, & Ovid. lib. 3. der art. a. man.

PETULANTIA PERNICIOSA. CAP. XL.

Addunt & perniciem, quae subsequitur ex nequitia, per Sirenis imaginem significari: eoque tradunt nautas illos apud Homerum cantilenis illectos, exitii sibi causam comparasse. Sapientissimumque ideo Ulysses fingunt, quod sociorum auribus cera oblitis, pereundi periculum sustulerit, sibiq; averit, ne illi quicquam, quod imperaret, aut nutu significaret, facerent, ad malum se vinculis alligari passus, neque prius dissolvi, quam in tuta, superato periculo, evasissent.

Homer. lib. u. Odyss.

ELOQUENTIA. CAP. XLI.

Sapientiores tamen, Sirenas pro hieroglyphico eloquentiae, felicissimaque persuadendi vi potuerunt, unde dictum illud de Catone Grammatico:

Cato Grammaticus, Latina Siren.

Et Apollonius Tyaneus apud Philostratum, in Apollinis templo suspensas etiam aureas Sirenum illecebras memorat, in hujusmodi significatum. Atque, ut ad Passerem revertamur, divinae etiam litterae alitis hujus hieroglyphicum nonnunquam pro anima ponunt, quae voluptatibus & sensui dedita facile seducatur, nequitiaque laqueis identidem irretiatur: unde Psalmographus ille fatidicus plurimum exultat Psalm. 124. *animam suam ereptam esse, veluti Passerem, de venantium laqueis.*

Stc Philostratus in Isocrates, Sirenem venem bo. Et cas. Passer pro anima.

Psalm. 84. *Invenit sibi Passer domum, qui scilicet prius erat erraticus & vagabundus, modo his, modo illis illecebris avocatus. At ubi sacras cepit aedes frequentare, incolereque, domum est sibi visus invenisse.*